

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## XLVII.

*Salutem à filio DEI, qui est præsidium & decus sua Ecclesie. Reverendi & Clarissimi Viri, fratres in Domino dilecti.*

Cum pro asserenda veritate doctrinæ cœlestis nunc in acie stetis, adversus maledicos & virulentos hostes: quæ res quanti sit laboris, & cum quibus periculis sit conjuncta, mihi non est prorsus ignotum: sæpè precibus meis vobis adsum, ut ipse filius DEI dux exercitus Domini, suo spiritu vestra regat consilia, & largiatur corporis & animi vires, ut strenuè & animosè præliemini prælia Domini, & spiritus maledicos conculcetis. Quo consilio me nominaveritis D. D. Elestoribus, cum antea vestris deliberationibus de formula concordiæ & Apologia habitis non interfuerim, & ad profectiones sim planè ineptus, non intelligo. Persuadeo tamen mihi, vos singulari erga me benevolentia adductos fuisse; pro vestra autem prudentia facile colligitis, me non decere in tanta re quicquam suscipere, sine expresso Illustrissimi mandato. Nec vero mihi de voluntate celsitur, ipsius, ut V. R. D. existimant, constat. Cum autem crastino die, si omnipotenti DEO visum fuerit, ad illustrissimum Principem nostrum, qui in loco vicino Schöningæ nunc agit, venturus sim, has à V. R. D. ad me missas celsitudini ipsius exhibebo, ac si quid intellexero, quod ad promotionem publici negotii pertinebit, & vos scire retulerit, ejus reddam vos è vestigio certiores. Moram refutationis opponendæ Blasphemis Calvinistis, non solum molestè fero, verum etiam Ecclesiæ valdè detrimentosam esse judico. Hostes nostri sunt alacres, diligentes, intenti in omnes occasiones, ardent zelo, sed non secundum scientiam, multorum rudium animos occupant: nos interea torpemus; nam filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis. Quod Dominus Chemnitius nihil hæctenus opposuit scriptori blasphemò, impudenti *xyj. witradii*, L. Danæo, mirantur docti, molesti ferunt boni, dolent pii. Utinam vox Spiritus Sancti: *ὁς δὲ τοῦ πνεύματος*, ipsum excitaret & inflammaret. R. D. V. commendo filio DEI, custodi Ecclesiæ, qui nec dormit, neque dormitat. Helmstadii, 9. Junii, Anno 1582.

Tilemanus Heshufius.



## XLVIII.

*Salutem à filio DEI, Domino nostro JESU Christo, qui est refugium à nimbo, & umbra- culum ab aestu. Reverendi & Clarissimi Viri, Domini & fratres colendi.*

Quam pio & sancto zelo per spiritum DEI accensus sit Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Julius, Dux Brunswicensium & Luneburgen-